TVMVLVS
INNOCENTII XII.
PONT. OPT. MAX.
SEV

De Heroicis eius Virtutibus, ac de Pace Italiæ per eum partà

POEMA
RECITATVM IN SEMINARIO

EMINENTISSIMI, ET REVERENDISSIMI D.

MARCI ANTONII BARBADICI
S. R. E. Præsbit. Cardinalis Vigilantiſſimi Epiſcopi Montis Faliſci, & Corneti.

AVCTORE

IOSEPHO DE RVBEIS SACERDOTE TAVRIN.

In eodem Seminario Rethoricæ Profeſſore anno *1696.*



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VITERBII, Ex Typographia Petri Martinelli. *1696.* *Superiorum permiſſu.*

BEATISSIMO PATRI

INNOCENTIO XII.

OPTIMO MAXIMO.

INgens eſt, BEATISSIME PATER, muneris huius ambitio, nec, ſi cauſa reputetur, immeritò, exhibet enim Summo in terris Principi aliquid maius Principatu, arrham videlicet perennis gloriæ, ſpem immortalitatis. Æſtimant Cęteri INNOCENTIVM ex vniuerſi Orbis ſuffragijs, ex ſupremo Romanæ Sedis faſtigio, quo nihil Cœlo propiùs Terra veneratur, ex æternis deniquè eius operibus, quibus humanum genus iuxtà, & Deum ipſum deme-

retur. Ego potiùs è Tumulo metior magnitudinem tuam; illis ſiquidem ingentis meriti inſignibus ſuprà omnem fortunæ aleam, ſuprà omnes mortalitatis caſus euectus es, at ſuprà naturæ ſortem, Teque Ipſum creuiſti hoc Tui contemptu: Hic eſt, qui effusâ in pauperes Liberalitate, ampliſſima Domicilia Charitati dicauit; qui Iuſtitiæ Regiam; duplex non vaſtum minùs, quàm magnificum Vrbis commercio Telonium extruxit; tot denique, tàmque præclara cùm Romæ, tùm Centum Cellis publicæ munificentiæ monimenta excitauit; vnò verbò, nunquàm potuiſſes adeò gloriosè regnare, vniuerſis gentibus tàm magnificè prodeſſe, æternitatemque mereri, niſi calcans Imperij faſtum Tibi præmori elegiſſes. Viues itaque rarà hac animi moderatione GLORIOSISSIME PONTIFEX in honore annalium, in ore Famæ, & in ſeculorum omnium commendatione verſaberis; ipſa enī vetuſtas, quæ ingentes ſuperbiæ titulos, & poſthumā Principum ambitionem in æreis, marmoreiſq; tabulis inciſam carpit, ac demolitur, ſemper addet aliquid ad venerationem nominis Tui, quod ſine imaginibus in poſteritatis memoriâ clariùs fulgebit. Tumulus ipſe, qui Regnorum nihil oſtendens terrenæ celſitudinis apices deprimit, humilitate ſuâ in Cœlum vſque Te eriget; Te Pontificum hoſpitio recepta Charitas, regijs ædibus inducta Iuſtitia, gemino Portorio inſtructa publica Prouidentia, operoſis molibus illuſtrata Religio, excepta Solio Innocentia, poſt diuturnam Imperij felicitatem, in æterna recipient tabernacula. Hoc paci reſtituta vouet Italia, & Chriſtianus Orbis è fati faucibus ereptus, hoc præſertim obſequentiſſimus meriti cultor, & præcipuus Tuæ Charitatis Alumnus cum toto Seminario precatur vigilantiſſimus noſter hic Montis Faliſci Paſtor, qui me licet ingenij tenuitate deterritum, cùm hoc munuſculò ad amplitudinem Tui Faſtigij iuſſit accedere: quarè humillimis precibus obſecro, vt in degeneri hac Sepulchri imagine, quemadmodum in ipſo, ſtudium ames humilitatis, & ſi culpa vlla eſt benignè condones, non enim audaciæ crimen eſt, ſed obſequij neceſſitas.

BEATITVDINIS TVÆ

Obſequentiſſimus, & Humillimus Seruus

Ioſeph de Rubeis.

HVngaricas acies, & Thracia damna, Britanni
Crimen, & infandos Europæ dicere caſus
Aggreſſum moles aliò me maxima rerum
Euocat, & cantus meliori impendere cauſæ
Dum iubet, à lacrymis communibus abſtrahit; Ergò
Te quoque bella iuuant inuito Marte quietam
Roma diù? ceſſare nequis minitante ruinam
Orbe? vltròne paras communi accedere fato?
Te verſo truculenta fugit Bellona flagello,
Quid temerè vacuà procul à ceruice remotis
Inſultans gladijs in te veſana laceſſis
Exitium? quæ cæca rapit dementia mentem,
Vt dulcis vitæ, paciſque exoſa quietem,
Quà ſecura lates Martis terroribus inſtes?
Aſpice barbaricis attritum cladibus Orbem,
Nutanteſque graui terras ſub pondere belli;
Biſtonium turgere fretum, Ionioque cruentis
Vndis ſanguineas pelago miſcere procellas,
Strage Boriſthenios Scythicà concreſcere fontes;
Belligeris illinc Iſtrum, Rhenumque fauillis
Eridanumque Araris, Scaldim flagrare Garumnæ
Ignibus, indè Moſæ Ligerim, cum videris, armis
Indulgere potes, Martique vouere furores?
Inuidiam timuiſſe potes præſentia fata
Si pendas vno ter felix Principe Roma.
Ah ſi quæ pietas, aut vis te tangit honeſti;
Dum licet, Auſonio compeſce à ſanguine ferrum,
Progeniemque Deûm crudelibus eripe flammis.
Arcanam læthi rabiem, dirique tumultus
Cauſas Diua mone certo (precor) indice Clio;
Fatorum da noſſe vias, & pandere Vati

Vnde amor hic ferri, rabieſque inſueta furendi
Romuleas agitet tanto diſcrimine gentes:
Exorata mihi faciles ad plectra Camænas
Si des, laurigeræ fulgebit honore coronæ
Limen, & æterno noſtri dignabere cultu.
In ſpeculà Fidei, primà pietatis in Arce,
Quam dicunt Petri de nomine Principis ædem,
Eſt tenui cultu, at quouis pretioſior auro
Nomine Pontificis decorata perenniter Vrna:
Hanc ſibi conſtitui nullo ſplendore paratus,
Præſentis nullà fortunæ dote, nec vllis
Inſignem ſtatuis, modicam quoq; mole, ſupremus
Antiſtes, poſtquam Mundi ſuſcepit habenas,
In ſolà rerum contentus viuere famà,
Iuſſit, nè cineres faſtu certante profanis
Poſteritas titulis violaret, & impar in vnum
Terra foret Tumulum, gemmis, auroque locando
Pompa ſepulchralis foret invidioſa Parenti,
Qui ſibi Chriſtiadum meliorem in pectore ſedem
Legit, nè proprià dignetur imagine ſaxa
Neſcia marmoreæ mens ferre piacula formæ,
Quæ placidum doceat Patris dureſcere Pectus.
Hæſit ad aſpectum feralis Roma Sepulchri
Sciſſa comas, membriſque tremens, & pallida vultu,
Abſtulit optatas ingens ſed cura querelas.
Infauſto ſedit conterritus omine Tibris,
Dumque riget gelido non ſponte coercuit vndas
Frigore, Laurigerumque nouus timor alligat amnem:
Semianimis poſtquam languentia membra refouit
Nimpharum chorus, & gelidos calor inditus artus
Imbuit, amplexuque ægrum pia turba leuauit,
Vt tandem ſenſus; vociſque eſt reddita virtus,
Triſte caput tollens vix hæc in verba reſoluit
Os, dictiſque ſuam fortunam incuſat amaris.
O' nunquam ſtabiles hominum res? certaque vota,
Rurſus ab ingenti nunquam ſeiuncta dolore
Gaudia? quàm magno veniunt cum fœnore damni
Munera fortunæ, diroque intincta veneno?
Ergò ſat oſtendi crudelia fata putaſtis
Delicias? iactura priùs quàm parta voluptas,
Maieſtas placuit monſtrata in origine tantum?

De

De Te iurè queror *fractis ſpes vnica rebus*
Sancte Parens, longum nequicquã optate per æuum
Quid Tibi cum feretro ? triſti cum funere vitæ ?
Cum cinere Imperio ? ſæua cum morte Thiaræ ?
Inuitis laceranda dabis tua ſtamina Parcis
Cum tot ab hac Animà populorum vita, ſaluſque
Pendeat, atque caput ſibi Te delegerit orbis,
Impietas eſt velle mori. Quid (parce dolori)
Exitio mundi ſpretæ Tibi quæris honorem
Laudis ? habet tumidos hæc ipſa modeſtia faſtus,
Si cuncti Tumulus votis præponitur orbis.
Ah vtinam noſtrà Solium poſuiſſet in Vrbe
Thracius. aut Thamari nomen magè turpe Tyrãnus
In præmaturi lætarer imagine luctus,
Iuſtaque pro pleno feciſſem vota ſepulchro;
Sic ait, & lacrymis rorantia lumina tergens
Murmurat in gemitum, tacitis ſimul abdit in vndis
Triſte caput, Diui nè quà præterfluit alta
Tecta Petri ſaxum poſſit ferale tueri.
At non ignauis virtutum turba querelis
Rem benè credit agi, nec perdi tempora luctu;
Æmula pro tanti ſed tangit honore cupido
Pectora depoſiti, fitque ingens ambitus vrna,
Omnia pacturis hæc ſi victoria poſcat.
Nec merces ea parua initi certaminis eſſe
Cenſetur, nam priſca fidem ſi arcana merentur,
Tempore quo primum Iudæo crimine tellus
Cœlorum Regem vitæ defleuit ademptum,
Primaque cum Petro diuinæ germina legis
Tartareus Princeps à ſtirpe recidere tentans
Ad fera coniunxit ſæuum ſibi vota Neronem,
Qui ferro, & flammà, furijſque armatus Auerni
Chriſtiadum ſectam toto proſcripſerat orbe;
Principis ingratas iniuria linquere terras
Compulit, & patrijs Virtutes reddidit Aſtris,
Fama eſt exilio triſtes, & ſupplice vultu
Ante pedes cecidiſſe Dei, ac crudelia queſtas
Supplicia immitis nimium incuſaſſe Tyranni,
Pluraque de pœna, & reditus ratione precatas:
Quas vbi tranquillo ſolatus lumine, Cœlum
Quo beat, atque iubet fauſtos mortalibus Æui
Arbiter ire dies, ſic dicitur eſſe locutus.

Pone modum lacrymis, & ſæuas abijce curas
Chara Deum ſoboles, virtutum electa propago,
Non adeò meriti vileſcit gratia nobis,
Immemoreſque ſumus veſtræ pietatis, & orbis
In rebus ſegnes agimus, patiamur vt iſta,
Et ſcelus infidi volitare impunè Neronis;
Quot dederit luctus, totidem mox ipſe rependet,
Auctoremque ſuum repetent ſua vulnera; dirum
Sentiet hac monſtrum diſcerpi viſcera dextra,
Raptarique eius gaudebit Roma cadauer,
Qui docuit beluas in veſtrum ludere funus:
Hæc rata per dextræ ſceptrum quo Fata reguntur
Teſtor, & ætheræ per limina ſacra Paleſtræ:
Vos tamen intereà nè mentes vlla fatiget
Cura ſuper dubios obſcurà indagine caſus,
Ite Petro Comites, hic vos ſecreta receptas
In tecta ambages fati, ſeriemque docebit:
Hæc fatus Sceptri nutù dimiſit ouantes.
Forte Petrus vigili portam ſtatione tenebat
Admittens Heroum animas, quas barbarus hoſtis
Abſtulerat terris immani turbine cædis,
Victriceſque nece ad ſuperas tranſcripſerat ædes:
Numinis vt placitum Senioris venit ad aures,
Pugna fuit non parua animi parere volentis
Imperijs Domini, retinet ſed turba fidelis
Admittenda Polo, quæ ſemper limina pulſat,
Dum differre timet populorum vota, ſimulque
(Quod magnum putat eſſe nefas) mandata Tonantis,
Vt ratis, ancipiti quam cernit Nauita flatu
In diuerſa rapi, varioſque incumbere ventos,
Hinc Borean, illinc collatis viribus Auſtrum,
Hunc ſequitur, refugitque, anceps modò paret vtriq;
Alterius donec turbo violentiùs vrget
Victor, & aduerſas contrà iubet ire procellas,
Ocius accelerat dilatum libera curſum;
Haud aliter dubio librantur pectore curæ,
Et neutram ſequitur titubans ſententia partem;
Fors magè ſuſpenſus biuio manſiſſet in illo,
Ni foret Auſonij cædes oblata Tyranni,
Quæ longi nodum dubij, quaſi Parca, recidit,
Traxit & in certum ſublato iudice ſenſum
Conſilij mentem; nam paulùm à ſtrage quieuit

Enſis,

Enſis, & ad tempus cœleſtis Porta vacauit.
Ergo alacer, magnaque latus ſtipante catervâ
Virtutum iuſſæ proceſſit ad oſtia ſedis.
Eſt in ſecretâ Cœlorum parte receſſus
Qui lateri, cunctis imperuius, hæret Olympi;
Huc vbi peruentum; ſurgentia limina Diuæ,
Auguſtamque loci faciem mirantur, & alti
Proſpectus ſuprà tendentia limina Cœlos.
Aſt cum fatales reſerato cardine valuæ,
Aureaque ingreſſis patuerunt atria; clari
In ſpeculi morem hinc ſe diues Iaſpide multâ,
Chryſolitoque aperit paries venientibus; inde
Multiplices ſolido rutilare Adamante columnas,
Gemmiferumque vident laqueare nitere ſub auro;
Attonitis ſimiles hæſere in imagine templi,
Gauiſæque forent gratos producere viſus,
Ni regredi properans ad credita munia Portæ
Hac tu Diue Parens monuiſſes voce Sorores.
Non hæc ſacra cohors poſcit ſpectacula tempus,
Quod maiora dabit; hùc lumina verte; ſimulque
Oſtendis vaſtam miro fulgore columnam,
Cui patet affixa in ſe ſe redeuntis imago
Temporis, & ſtabili metitur ſæcula lege:
Hanc circum auratum radiant digeſta per orbem
Symbola, & inſolita rutilantes luce figuræ:
Forma characterum gemmis, auroque notata
Solis habet radios; numeroſo expreſſa leguntur
Sydere fata hominum; licet iſtic diſcere quid quid
Ante fuit, vel quod luſtris vix ſera futuris
Poſteritas cernet, quid dent fera penſa ſororum.
Aduertunt oculos tandem, magnoque viciſſim
Quæque ſtupore animi non intellectâ pererrat
Schemata, & abſtruſos viſarum agnoſcere ſenſus
Alma figurarum nequicquam turba laborat,
Donec nota ſibi Petrus ſecreta reuelet
Stemmata fatidicæ pandens miracula molis.
Iſtius in medio longè ſuper omnia fulgens
Linea conſpicitur ducto ſignata Smaragdo.
Vt ſacer Interpres primas peruenit ad oras
Teniæ, & Eccleſiæ venturam edicere ſortem
Apparat, è medijs ciuit Virtutibus altâ
Voce fidem, propiùſque iubens accedere, dixit;

Faſcia, quam cernis ſurgentem ambire columnam,
Nomina Pontificum, quos noſtro ex ordine Numen
Inſtituit, fidoſque tui dedit eſſe miniſtros,
Continet, & gentem, præclaraque facta pyropo
Adnotat; Hic Linus, proprio qui ſanguine primam
Terrarum Sedem, & ſacras prior imbuet aras:
Qui ſequitur Cletus generosâ morte ruinam
Fulciet Eccleſiæ: parili tua dogmata fato
Aſſeret à nobis Clemens qui tertius extat:
Sic ait, & tactu per ſingula ſæcla magiſtræ
Deducens virgæ generoſo Præſule faſtos
Signat, Odeſcalchum donec (tua gaudia Roma)
Plenius oſtendens Patriam, moreſque recenſet,
Inſuper eximias, ſuperant quæ nobile ſtemma
Gentis, virtutes, his fermè vocibus orſus.

Illum, quem decimo poſt ſextum creſcere ſęclo
Cernis in hoc Cyano, Comenſi ex Vrbe Quirino
Deſtinat Imperio miſeræ fortuna Viennæ,
Communiſque ſalus, quam fati è faucibus vnus
Eruet, Odriſiæque effringet cornua Lunæ:
Hic reparans tua damna auro, precibuſque iuuabit
Auſtriacas Aquilas, plauſuſque merebitur Axis;
Nam benè nutanti poſtquam proſpexerit orbi,
Oſtrigero noſtram firmabit Præſule ſedem:
Inter & electos Heroum lumina Patres,
Quos Tybris, Rhodanuſq; dabit, Padus, Iſter, Ibe-(rus,
Viſtula cum Tameſi, quos nobilis Adria mittet,
Circumfuſa velut ſol inter ſydera lucens
Maiori ſtellas offundit luce minores,
Cætera fulgebit ſacri ſuper aſtra Senatus
Parthenope genitus, qui primum Antonius, inde
Exprimet innocuos aſſumpto nomine mores
Principis emeriti, referenſque ex indole Patrem
Imperio maior tua frena ſecundus ab illo
(Primus Alexander non inferiora ſecutus
Namque erit) accipiet; proh quali fulgure claræ
Virtutis, quanto rerum ſplendore propinquum
Sapphirum accendit? certè, ni ſimbola fallunt,
Iſte Dei cultum terris, caſtumque pudorem
Inuehet, & vobis pluſquam aurea ſęcula condens
Mittet in æternæ monimenta perennia famæ
Nomen, in obſequium tanti vel ſæua laborant
Fata

Fata viri: mediâ belli licet ortus in irâ
Europæ concordis erit hic fæderis auctor,
In iugulum Auſoniæ conuerſos ante mucrones
Auertens ſæuos arcebit ab Vrbibus ignes.
Hoc Duce Getuli populabitur arua Leonis
Teutonicus mucro, captiui flumina Draui
Calcabit, græcamue ſuper ruet efferus Albam
Germanus ſonipes ſpargens pede victor arenas.
Iam video Colophona capi, Venetiſque per omnem
Circuitum latè Seſti flagrare fauillis
Littora, in aduerſæ iam ſcandere mœnia Abydi
Victricem Auſoniam, Byzantinique cacumen
Collis Signa Crucis: quid iniqui fata Britanni,
Excidiumque moror, quem, Gallo vindice, iuſtà
In pœnam ſcelerum mactans (lætare) ruinà
Vertet ad infidos victricia ſigna Batauos,
Proſtratamque armis, & belli fulmine gentem
Obſequio ſummi coget ſeruire Tonantis,
Ac tibi, quæ terris illius iura miniſtras?
Non mihi centeni ſi copia ſuppetat oris,
Detur & in voces milleni pectoris vſus
Cuncta gerendarum percurrere nomina rerum
Fortè queam, ſerie quarum mens victa laborat,
Feſſaque deficiet ſignando virga lapillo,
Hic malè bacchantis compeſcet limina Iani
Vlterius ſæuire vetans: extinguier atras
Lugebit Bellona faces in Tibridis vndis;
Pulſus in exilium vitiorum, Hoc Principe, cœtus
Europæ linquet nunquam rediturus arenas,
Sed procul amotas hircano in littore rupes
Incolet, arctooſque ſinus, & inhoſpita ſaxa;
Vel fœda ſtygiam maculabit labe Paludem.
Perfidiæ comites, diri mala pectoris, ibunt
Inuidia, & fraudes, & iniquæ ſemina Erynnis,
Ira, furenſque odium rigidis damnata catenis
Mandet auarities vano ſua vincula morſu;
Squallida perpetuis tenebroſi carceris vmbris
Vltio marceſcet, mitis Clementia triſtes
Obtundet gladios, pietatis ſenſus in omnes
Se ſparget populos, & amoris fœdere iunctos
Æternâ felix Concordia pace beabit;
Nulli rupta fides Regi; prauæque probari

 Tunc

Tunc poterunt artes; erit optima regula morum
Romuleus Princeps, ſub quo deſpecta iacere
Nec poterit virtus; nec inertia ſurgere, certus
Vt fauor ingenijs, & honos, ſic pœna nocenti
Deſidiæ ſtabit: lectos ex omnibus oris
Tollet; ad egregios vt ducant magna labores
Præmia; & excelſæ ſtimulentur ad ardua mentes;
At quid facta traho ducens per ſingula? ab vno
Diſcite Odeſcalcho, qui ſit meus Iſte futurus,
Non tam Sedis erit, quam magni nominis Hæres,
Viuaque Romanos ſolabitur eius Imago.
Hæc ſatis; euentus longè maiora probabit
Cœtera, quæ fari data tempora plenius obſtant;
Dixerat: arrectas, & multa rogare volentes
Quem rerum ſtatum promittant tarda futuris,
Luſtra Viris; iubeantne notæ res eſſe neceſſe?
Comprimit elato digito, virgamque reponens
Auditis lætas comitatur ab æde ſorores,
Dum properè repetit commiſſæ limina Portæ.
Virtutes poſtquam pacatas cæde Neronis
Fama tulit terras Cœlo petiere relicto,
Quas per multa ſuis cumularunt ſæcula donis;
Donec ſumma dies, Diuique ingentia quondam
Ad bellum complenda Senis promiſſa cierent:
Namque vbi depoſiti ſtructuram tanta merentis
Aſpexere Patris ſacra conſurgere in æde
Certatim ſibi quæque nouæ deſpondet honorem
Vrnæ, partirique negant monimenta petitæ,
Sed pretium Mundi certum eſt depoſcere ferro,
Iacturamque putant quidquid deceſſerit illi;
Nec ſatis eſt clarum ratio cui militet æqui,
Aut iuris, magno ſe Iudice quæque tuetur,
Illicet arbitrium Supremi Antiſtitis affert,
Et patrij pro ſe certiſſima ſigna fauoris.
Senſerat hos reſideus Vaticani in culmine Templi
Alma Fides ſtrepitus, turbataque corda ſororum
Neſcia quid Turbæ, quid murmura ſæua pararent:
Ergo nè ſerpens ſociarum in pectore virus
Inficeret populos, latiumque tumultibus orbem
Scinderet in partes; quà celſior imminet vrbi
Vertex, & Superum pandit commercia terris
Tartareis metuenda Crucis vexilla cateruis

Ex-

Extulit, inferno queis bella mouere Tyranno
Sueuerat, & ſocias in prælia poſcere dextras
Virtutum, certamque notam ſuperaddidit auri,
Quà ſubitò comites in propria tecta vocabat.
Nec mora, condicto ſua quælibet atria liquit
Tempore, & antiquam Fidei conuenit in arcem,
Quam voluit ſacram Petri ſub honore vetuſtas,
Et modò primatù longò decoratur ab æuò.
Prima videns ſignum propriam Sapientia ſedem,
Altera Tarpeiam properauit linquere Rupem
Fortis vis animi, Moderatio tertia venit,
Quarta Quirinali deſcendens Monte citatis
Religio gradibus contendit adire, comeſque
Larga manu it Pietas, Virtutum & plurima turba,
Quæ belli immunes, & pacis iura colentes
Imperijs pronæ fuerant, natoſque tumultus
Conſilio, nitente Fide, ſedare parabant,
Et reliquas animis ad recti ducere leges.
Vltima cum ſocijs quas excijt ambitus Vrnæ
Iuſtitia acceſſit, ſed non ſine milite, quæuis
Namque ſubalternas traxère in bella Sorores.
Vt tandem coiere pares, longòque ſedentes
In circo Iuſti cedente furore capaces
Vidit, in excelſam, quæ dicitur Exedra Petri,
Conſcendit Sedem (medium tenet illa retrorſum,
Et caput eſt Templi) digitòque ſilentia iuſſit:
Dudum agitata Fides, & fermè his vocibus vſa eſt.
Quis furor hic ſuperas mouet in certamina mentes
O ſociç, noſtrum quæ agitat diſcordia Regnum?
Et vobis certare placet? proh dedecus æui,
Triſtia, & humanis nunquam ſatiata ruinis
Fata? (dolor) totum rapiunt incendia Mundum;
Vna erat excidio, flammiſque excepta Quiritum
Terra, quies paci, & nobis hæc vna dabatur;
Quis locus armorum ſupereſt immunis ab irà?
Rurſus in exilium pulſas excedere Romà,
Seruitium Ditis quin ferre Megæra videbit
Cęleſtes Animas? Fidei ſuccedet Erynnis?
Quid vitijs liceat, Vobis ſi caſtra placere
Iam poſſunt? audire velim, quæ tanta furori
Merces, quod ſceleri pretium tam grande paretur,
Vt queat in lucro numerarier eſſe nocentes?

Depoſito ferro concordes iungite dextras;
Vnumque, & melius veſtris certamen honeſti
Mentibus inſideat, vitijſque inſtate viciſſim:
Vel ſi belligeris placet indulgere procellis,
Me figant gladij, per vulnera noſtra patebunt
Præmia ſacrilegæ, coquitis quam cordibus, iræ.
Quonam fæda loco tantum victoria crimen
Abſcondet, labem quæ diluet æquoris vndâ?
Cum Marij, Syllæque truces in mutua verſi
Funera ciuili complerent Sanguine Romam,
Inque vices Domino Capitolia ciue videret
Calcari, potuit ſolâ pietate furores
Mollire, & partâ Victorem vincere pace;
Aſt ego, Dux hominum, Cælorum nuncia, & alti
Numinis Interpres, Virtutum pectora iuſtæ
Reddere non poſſum cunctis deſpecta quieti.
Quis pia iam Fidei veneretur dogmata? noſtris
Arcanis vltrà digni quis pendat honorem
Cultus, ſi vobis tot ſum poſt munera vilis?
Creditis illæſum perſiſtet nomen in orbe,
Et veſtræ impoſitis fumabunt thuribus Aræ
Me ſpretâ? cadet vnâ veſtri gloria cultus.
Per palmas oro domito ex Acheronte relatas,
Et per communem ſuſcepto in munere cauſam:
Naufragij fragmenta mei nè perdite; quaſſæ
Relliquias iunctis potiùs ſarcite carinæ
Dextris; & ſi quid ſtimulat pia corda ſorori
Pandite, vt amoto peragantur cuncta furore.
Deſierat hac voce Fides damnare tumultus
Diſcordis cętus, placidoſque requirere mores;
Cum (dolor impulerat) Virtutum turba ſilendi
Longiùs impatiens hos rupit pectore ſenſus:

Nec nos cędis amor, nec iniqua licentia morū,
Cæca nec argenti rabies, laurique cupido
Impulit ad bellum, damnataque duxit in arma,
Sed Pietas, monitumque Petri, qui ex æthere noſtrę
Approbat officium pugnæ, ſtimuloſque recentes
Addidit in motus (Tu Teſtis) in Axe ſecretas
Cum referans fati ambages præſentia virgâ
Tempora ſignaret, vitam monſtrante Pyropo
Pontificis (meminiſſe potes) cum facta doceret,
Qui ſtupor immotas defixit imagine rerum,

Quas

Quas geſturus erat, quæ ſpes, & gaudia lætis
Irrepſere animis, vbi proſpera temporis huius
Symbola percurrens felices diceret annos,
Quæ noſtrum grato tunc non excepit amore
Nomen, quod gemmę inſculptum cômitteret Aſtris,
Ingentique Viro decus immortale parauit?
Phæbo ſplendidior his fulget in ædibus vrna,
In funus ſtructam proprio quam nomine Princeps
Ornat, pro tanto quæ non decertet honore,
Et vitam cupiat Patris pro laude paciſci?
Talia virtutes vno ſimul ore fremebant.
Hæc vbi dicta ſibi diuiſim quæque perorat,
Conſulit & propriæ magno certamine cauſæ.
Charitas. Hinc Agape, primo cui ſtabat in ordine ſedes,
Miſit in hunc voces flammato pectore ſenſum.
Non ego culpati purgo certaminis vſum
Qui bonus eſt causâ, quamquam fors peccet in actu,
Vna reas nos culpa facit vi poſcere iuſtâ,
Hæc quoque ceſſabit, reliquis ſi denique honeſti
Iura ſequi placeat, proprijs ſi credere malint
Luminibus cæcâ quàm mente probare tumultus
(Hæc inter Laterane tuas conuertit ad ædes
Ardentes oculos, auguſtaque culmina Fauſtæ
Nutibus oſtendens, Collis quæ Cælius ambit;
Speque, metuque audax nictu mouet ora minaci)
Proſpiciant Domino tumidas iam Cæſare ſedes,
Quas Nero Tarpeio reputauit Principe dignas,
Quaſue reſurgentes luxu mirante Perettus
Extulit in Solium Romani Culminis, Aulamque
Inſtituens Mundi ſe ſe ſuperauit in illis;
Aurea nempè Domus raris ornata figuris,
Atria marmoreis oſtentans fulta columnis,
Et tecta interiùs regali ſplendida cultu,
Egregiâ reliquos tàm vincit in arte labores,
Quàm Tu Roma alias ſuprà caput erigis vrbes.
Has mihi deuotas dilecti cura Parentis
Æternum voluit monimentum, & pignus amoris
Eſſe ſui; tàm magna ſatis nec dona putauit,
Ni mihi largus opes, & gazâ diuite cenſus
Annua laturos miſeris alimenta dediſſet:
(Ipſa vides) quoties in noſtros deſtinat vſus
Quidquid Pontificis mage lauta in fercula miſit
Orbis,

Orbis, meque ſibi Princeps, quàm ſæpe benigno
Præferat affectu, ſpretoque indulgeat oſtro;
Ambitioſa forem ſi limina noſtra frequenti
Viſentem officio vobis modò prodere vellem;
Ad latus admittens mancos, & ad oſcula dextræ
Pondere depoſito Regni miſcere puellis
Alloquia, & dulci ſermone leuare dolores
Sæpè videretur, humilique occurrere turbæ.
Nonne Quirinalis vitans faſtidia Sedis
Gaudet in auguſtis propriæ pietatis Alumnos
Cernere liminibus, paupertatemque beatas
Calcatis Regum pompis habitare paleſtras?
Quid memorem ſtructas Tyberini ad fluminis vndã
Regifico luxu ſtudijs puerilibus ædes?
His ego ſi detur titulis decorabo Sepulchrum,
Nec tantùm anguſto claudetur marmore nomen,
At ſua dona ſequens omnes penetrabit ad oras:
Vix ea fata ſuo iacuit poſt verba ſedili,
Quæ fauor eſt dubio comitatus murmure vulgi,
Et ſors communi tenuiſſet præmia voto,
Septa teloniacæ ni iactans ardua gazæ
Pronoia hanc contrà dictis mox talibus iſſet.

Prouidentia. Vtilitate placet meritum ſi expendere noſtrum,
Et gemini nobis (procul eſto ſuperbia) tecti
Eſt conſtructus Apex in publica commoda Romæ;
Alter Auentinas ad ripam Tybridis Arces
Proſpectat, mediam in Trullo circumſpicit Vrbem
Alter, & antiqui calcat veſtigia Templi;
Quàm ſit in ęde frequens noſtrà modò longa referre
Res foret: hæc nequeunt illæſo iure ſileri:
Ingentes iactare Domos, veſtrumque redactas
In cenſum gazas, Inopum ſolatia, Fiſci
Addictos miſeris theſauros, ſi mea ceſſet
Cura, repentè cadet reſoluto machina nexu
Tanta, nec vnius Soles numerabit is anni.
Quid modò Tyrrheni prodeſt impendia Portus
Et ductos fontes ad centum dicere Cellas?
Occupat in cauſã meditantem plura parare

Iuſtitia. Irrequieta diù Themis, atque his increpat vltrò.
Non ego venales exacto fænore laudes,
Atque graues populis redolentia limina quæſtus
In meritis numerabo meis, ſed nobile, terris,

Et

Et Cœlo placitum ſublimi mole Tribunal:
Vrbis in aſpectu eſt facies auguſta Theatri,
Marmorei fontes, & aquæ ludentis in Aulà
Illecebræ, circùm ducentes atria Xyſti,
Et ſpeculæ celsà tangunt, quæ ſydera fronte.
Iſta Semiramias ſuperant faſtigia Turres,
Illiacoſque, vetus tollit quos fabula, muros,
Aut quæ mirantur Babilonica mœnia Parthi;
Roma theatrales quaſcumque extruxit in vſus
Moles, aut clari Ducibus monimenta triumphi,
Hoc præcedit opus; ſed quod magis emicat intus,
Perque lares ſparſo longè præſtaret Idaſpi,
Iuris in hoc Templo domus eſt, vbi lancibus æquis
Ad trutinam reuoco mortalia facta; ſedenſque
Interpres Diuum primæ dictamina legis
Exequor, ac iuſto corruptos Iudice mores
Comprimo, ſacrilegæ damnans periuria linguæ,
Hic ego ſacratos Cineres, atque oſſa reponam
Ad cultum populorum inſcripto nomine Patris,
Deliciaſque ſuas veniens venerabitur orbis:
Iuſtitiæ nimis iniuſtum foret iſta negari.
Hæc votis Aſtræa tuis: ſibi credita Buſta
Religio. Sed Thriſcheia ferens, & conſcia Numina teſtans
Voce, manùque ſuis oſtendit in ædibus vrnam;
Auferrine datum ſegnes patiemur honorem
Addidit infrendens, meliorene ſede locari
Hæc queat in primo quàm tot per ſęcula Templo,
Fundamenta Deum priùs à radice reuelli,
Subiectiſque ſacros flammis ardere penates,
Cunctorum, cineres in te Tyberine natare
Pontificum, ſpargiue notis ſimulacra videbo,
Quàm vi tàm magnæ ſpoliari Inſignibus vmbræ.
Quæ iubet ambitio miſceri ſacra profanis,
Et tam præclari titulum ſperare Sepulchri?
Ite procul, vetitos procul hinc agitate furores
Æmula acerba cohors, & noſtræ cedite ſorti,
Hæc ſimul, & toto ſtridentia limina niſu
Impulit, excluſas donec teſtante fragore
Cardinis, obſtructos commiſit dextera poſtes,
Vt vigil in caulas ingreſſum ſæpe Leonem
Paſtor ſanguineis rapiens è faucibus Agnam
Inſequitur clamore, & agreſtis vulnere conti,

Vi-

Vimineaſque fores magno conamine claudens
Tandem exturbato gaudet vetuiſſe rapinam
Hoſti, qui rabidis terrens rugitibus arua
Eluſam ſine more famem teſtatur; anhelas
Concutit & fauces ereptæ ob munera prædæ.
Haud ſecus ingenti Diuæ exarſere furore
Se pulſas ſacrà immeritò ſtatione querentes,
Effractiſque parant perrumpere limina clauſtris,
Ni prohibens ſæuas procedere longiùs iras,
Et ſæuire animis reuocaſſes Numina tali
Voce Fides, iterumne meas inuaditis ædes,
Pro caſtris ergo ſacratum limen habetis
Impietate piæ? violatòque ordine Iuris
Ius petitis Tumuli? quem tanta licentia finem
Inueniet? Vobis nequeunt ſi noſtra probari
Dicta, animique graues iuſto componere motus,
Ne pia bella ſcelus condemnet, adite Parentis
Ad ſolium, pronas & iuſta petentibus aures.
Arbitrio tanti renuit quæ Iudicis vti,
Hanc mala cauſa tenet meruitq; vt iniqua repulſam.
Quid iuuat indulgere odijs, vanoſque tumultus
Spargere? cui dederit Petri Succeſſor honorem
Illa habeat, ſaluàque ſacro pietate fruatur
Depoſito, munus violat qui vindicat armis.
Talia clamantem (reuerentia Iudicis vltrà
Quippe obſtare vetat) cedente ardore relinqunt;
Atque Quirinalis tendentes collis ad Aulam,
Poſt Circum vaſtâ placuit qui mole Neroni,
Ingenti clamore vias, atque agmine complent,
Signaque nec belli, nec pacis habentia vultum,
Ambigua ſed fronte gerunt, vt conditus atris
Nubibus in dubiâ promittit luce ſerenum
Mittens per rutilas Phœbus ſua lumina rimas;
Otia ſic vultu geſtant, & prælia Diuæ:
Has vbi conifero propiùs ſuccedere Caſtro
Michael aduertit, quid res turbata moueret
Neſcius arreptâ, ditem quà contudit, haſtâ,
Et Clypeo, celſi metuendus ab aggere Valli
Conclamat, noſtræ procul eſte à mœnibus Arcis,
Quo ruitis? quæ cauſa viæ? pacemne, vel arma
Fertis in Auſoniam ſtrepitu tanti agminis Vrbem?
Hæc ille; & cunctis auditis ordine, comi

Ire

Ire dedit vultu repetens faſtigia molis,
Iſtà triumphali dum ſuprà à Ponte geruntur,
Proximus & teritur virtutibus Ælius Arcus,
Ante fores (quondam Solis quæ Templa fuere)
Pontificis diræ palloribus obſita mortis
Italiæ viſa eſt extrema precantis imago,
Quæ poſtquam ſacræ deſcendit ad oſcula plantæ
Singultu medias crebrò rumpente querelas
His mœrens rupit tremebunda ſilentia dictis.
O Pater, Auſonidum cui ſeruit purpura; mundi
Cui commiſſus apex, rerum tutela mearum,
Aſpicis vt clades omnes diuiſit in oras
Mauors, & noſtras Orbis miſcere ruinæ
Contendens lacrymas, tot me laniauit ab annis?
Cernis ad alpinos tempeſtas martia fines
Quæ ruat, Inſubribuſque iugis ſuprema minetur?
En fumat miſerà vaſtata Sabaudia clade:
In cineres ſæuitur adhuc, pugnatque cadauer
Pro tumulo; nullo paccatur funere victor:
Nec ſatis eſt ipſas hoſti periiſſe ruinas,
Gliſcit adhuc ſæuus, cupienſque extendere luctum
Vlteriore ruit Ticinum accendere flamma;
Ac Trebiæ priſcos (heu) ſuperare furores.
Quis finis cladi; quæ ſpes poſt vulnera? noſtrum
Sex annos Rhodanuſque bibit, Mœnuſque cruorem,
Ni properes verſas in prædam auertere dextras,
Iungitur Eridano Tybris; Capitolia pulſat
Iam fragor armorum, perſtringit ferrea Romæ
Lux oculos, agris iam martius incubat horror;
Fulgura ſæpe micant dominos læſura Quirites:
Sit vidiſſe ſatis; quid cæde calentibus armis
Quantum iræ liceat, victorque quid audeat enſis
Iam notum; nobis vnò ſtat vita ſub ictu.
Ecce Appennini reſidens in vertice plenas
Expectat clades inimico pectore Erynnis,
Si gemini vidit hoſtis ſatiaſſe furorem,
Si noſtris tumidum conſpexit cædibus ire
Sæpe Padum: Tanarumque; tuam non gaudeat vri
Sedem, quæ fatum ſuprà, Ditemque locatur.
Illa ego, quæ Senonum reſtinxi ſanguine bella,
Colla catenati vidi raptata Iugurthæ,
Atque tuli claros ad Solem vtrumque triumphos,

Non precor vt domitis ſcandam Capitolia pœnis,
Laurigeroſque ornet Cimbrorum Laurea Currus;
(Hoc votum felicis erat) ſed vt improbà ceſſet
Ira necis, recidantque mea de fronte catenæ,
Vt tandem Latium Mauors formidine ſoluat.
Te petit hæc moles, iuſtæ tu proſpice cauſæ.
Sic fata exanimi ſimilis cogente dolore
Deſijt ante pedes Solij prolapſa paterni;
Quam Pater aggreditur ſolari hac voce iacentem;
Mitte truces de corde metus, & læta reſurge,
Haud procul eſt tibi læta dies, quà labe piatà
Errorum, ſuperumque irà, felicibus vſa
Virginis auſpicijs optata pace beari
Incipies, noſtri quam fruſtrà, Aulæque labores
Reddere ſudarunt (nec enim ſua vota supernis
Conſilijs Homini fas eſt miſcere, ſibique
Cordere fata) tuis ſola eſt diuina voluntas
Lex deſiderijs, peregrina pericula longè
Hæc latio pellens trans alpes peſte remotà
Non dabit vlteriùs per te ſæuire mucrones.
His dictis ceſſere parùm de pectore curæ,
Officioque Senis vitæ reuocata benigno
Incluſum veluti mortali in pectore Numen,
Et viuam immenſæ ſpeciem pietatis adorat;
Maieſtas nam læta viro, canique verendi,
Lenis ineſt grauitas, & pondus amabile verbis,
Ille autem Auſoniæ properans ſuccurrere genti,
Indictis precibus, reliquiſue piantibus iram
Numinis, è Solio deſcendit ad Iſidis aras,
Ritè puerperio pietas quas priſca dicauit,
Virgo Maria tuo: medius popularibus illic,
Purpureoque Choro, plenà veneratus acerrà
Thuricremiſque focis ſuperos, ſic incipit ore.
Alma Parens, debet, cui plebs humana ſalutem,
Eccleſiæ fulcrum, populi Patrona Latini,
Cuius turbato iam Filius attulit orbi
Pacem; Roma tuis ſupplex affuſa ſub aris
Exorat pacem; diuina redintegret ortus
Dona ſui Proles, illi Te, Virgo, precante,
Iſta dies vt ſit pereundi terminus oro:
Italiæ mouere meos ſuſpiria luctus,
Et longos numerans populorum à Marte timores
Sæpe

Sæpè Ducum volui nudatis obuius ire
Enſibus, vnanimeſque excuſſo iungere ferro
Dextras, ſed precibus nil proficientibus iræ
Maiori non ſpontè dedi (mihi conſcia teſtor
Aſtra) locum auertens triſtes à crimine vultus:
Nunc tua res agitur, procul hinc ni bella releges,
Mars auctus ſpolijs feret in Capitolia flammas,
Lugebuntque tuæ nullis Cultoribus aræ;
Quodque magis vereor has polluet Hæreſis ædes.
Ah prius hoc videam furiales ſanguine tædas
Extingui, ſacrata Tibi quam Templa crementur;
Hoc culpæ Ducibus, hoc ignibus eripe Iuris:
Sint gladij inſontes quamuis pietate coacta,
Ad pacem veniant etiam pugnare parati;
A nece vel nolens vacet impia dextra; quietos
Da tandem numerare dies; rapiendaque nullis
Militibus deferre tuis donaria Templis.
Æternis barathri tenebris cludatur Enyo,
In Latias vecors ne detonet amplius oras.
Vix ea fatus erat, Cœlo cum lapſa ſereno
Stella coronatam radijs circumdedit aram,
Inque notas abiens cœleſti lumine cunis
Inſcripſit; Pacem ſoboles dat noſtra Latinis
Gentibus: & ſubitis à Templo euanuit alis.
Hoc alacer viſu Sydus veneratur amicum,
Pro fauſto iuſtas & reddens omine grates,
Virgo Tibi, Natoque pios inſtaurat honores
Thuris odorati Princeps; queis ritè peractis
Sede Palatinam remeauit lætus ad aulam,
Humanis maior geſtata pace triumphis.
Intereà denſo compleuerat agmine portas
Principis opperiens aduentum ſedula virtus;
Ergo vbi feſtiuo condignos murmure plauſus
Perſoluit reduci, Maieſtatemque Quirini
Cernua adorauit Solij; propiora petiuit,
Ac nullo auguſtam cingens diſcrimine ſedem
Confuſo clamore precum, meritiſque relatis
Iudicis arbitrium quæuis ſibi poſcit in vrnà.
Attonità primùm Pater optimus accipit aure
Diſſidij cauſas, rubuitque pudore modeſto
Canities veneranda, ſuis de laudibus armis,
Et bello cum nouit agi; ſibi redditus inde

Irato

Irato ſimilis tollentem ſigna cohortem
Corripit, & tali caſtigat voce furores.
Qui malus error habet veſtras ò Numina mentes,
Qui nouus ad turbas vos excitat ambitus? ergo
Pro mortis ſpolio, viliſque putredine ſaxi
Bella geri placuit feralem habitura cupreſſum?
Publica num veſtras irritant prælia dextras?
Iſta modum neſcit Pietas, ſi funera noſtra
Eſſe iubet tanti; priuatæ tempora laudi
Dum datis æternæ perierunt pondera famæ.
Quin omnes poſito ſuccurritis enſe periclis
Humàni generis, vobis inſigne trophæum
Ereptus flammis erit Orbis, dignaque palma.
Ocyus ite, truces depellite ab Vrbibus ignes,
Tartareaſque minas medio ſuſpendite Cœlo,
Vel pelago merſas Stygijs damnate cauernis;
Dum vacat ira, Ducum meliori incendite flamma
Pectora, in Iſmarias conuertite funera gentes,
Chriſtiadum fœdis vt parcens cædibus enſis
Maſſagetas à ſtirpe metat populos, & Idumes
Illuſtres Getico decerpat ſanguine palmas;
Ac cœſo æternam Sultani in corpore famam
Virtutis ſculpat; tantùm mors illa petatur
Cui Babilon lacrymas, aut Memphis barbara pen-
Aut Nilo mutare iugum, vel perdere certet (dat;
Heroum decus, & bello ſpectata propago;
His Tigris Armenius, domitus famuletur Araxes,
Victaque continuum perſoluant Bactra tributum,
Aurea dent Colchi, dent propria vellera ſeres,
Cæſareas geſtans ſeruili fronte catenas
Spartacus innumeras ſibi nil prodeſſe falanges
Sentiat, & Cœlo temerè queis bella parauit,
Periuros gladios; qui iam detraxit ab aris
Diuos, Romanaſque ſibi deſponderat Arces,
Sub pedibus terras, ſub nutu viderat vndas,
Relliquias agitans toto lacer æquore eoas
Euerſis fruſtrà latebras ſibi quærat in oris
Incenſi donec pœnam librauerit Orbis
Dextera Victorum mactati cæde Tyranni.
Hæc ſuper armatis oſtendite Regna Brittanni,
Cuius fraude omnem ſceleratis ambitus armis
Miſcuit Europam, turbato fœdere gentis,

Emit

Emit ad arma manus vt raptum Proditor oſtrum
Pollueret, qu ærens cognati ſanguinis vſum
Vt Dominis vno Regni ſpem demerat ictu.
Quò fleat vſque pij regio viduata Iacobi
Exilio, Regnumque ſuis à ſedibus erret,
Quærite, & vltrices ſcelerum depoſcite dextras.
Felix illa manus, fontem quæ prima cruorem
Hauſerit, atque breui tot belli abſoluerit annos
Momento; pepigit tanto quod crimine ſceptrum
Maiori amittat pœnâ, vel ſi nequit vno
Funere multiplicis commiſſi noxa piari,
Quid dubitant penitùs ſceleratam exſcindere gentē;
Cumque ſuis populis Londinum immergere Ponto?
Illic effundant rabiem, irarumque procellas;
Tota Caledonios Europa irrumpat in agros,
Parcatur nulli, quem perfida terra crearit,
Vnam pro toto furijs permittimus orbe.
Nil actum credat, Batauorum cæde cruentos
Inuehat Oceano, ni terna per oſtia fluctus
Rhenus, vt Hiſpano Fidei gens luce reductâ
Seruiat Imperio, populos vel iuſta rebelles
Vltio conficiat; tumulata Gebenna Lemano
Fœdas Hæreſeos lacrymarum diluat vndis
Sordes, Heluetijs Lauſanna auulſa Sabaudum
Fida colat Dominum, ſub Cæſare viuere Berna
Præferat, infidęque eiurans dogmata ſectæ,
Pronâ mente apicem Romanæ Sedis adoret.
Hic honor eſt noſtræ, quam bello quæritis, vrnæ;
Hoc primum veſtræ obſequium pietatis, & ingens
Semper erit meritum, ſi Religionis in hoſtes
Communi Europæ conſpirent fœdere reges;
Hæc laus inuidiâ, veſtris & digna trophæis
Materies ſoli Cœlorum vincere Regi.
Sedit ad hæc recti patiens, poſitâque minarum
Nube animus; cunctas damnatæ pœnitet iræ,
Ac mala diſſidij curâ meliore parantes
Penſare extemplò Patris mandata faceſſunt.
Hinc Italæ primùm virtutum parta labore
Pax Genti, toto quæ mox ſperatur in Orbe.
Ergò vbi, ſedatis belli terroribus, arma
Munere Pontificis procul aſpicit Itala tellus,
Depoſito longi ſubitò ſqualore pericli,

Deter-

Deterſàque genis macie, ſua gaudia feſto
Teſtatur vultu, præcinctaque tempora lauro
Victores Orbis ſcandit lætiſſima currus,
Vix ab aquis Tanari plaudentes extulit alas,
Viſaque Ticini tutas iam linquere ripas,
Nuncia Romanos ad Patres pacis iura,
Cum motæ pennis libratis ocyùs auræ
Reddentes quanquàm mutilato nomine pacem,
Vrbis in occurſum gratantibus vndique tectis
Excıuère oculos, lætumque è ſede Parentem,
Cuius vt ante pedes cecidit, lacrymiſque rigauit
Lætitiæ, tali faſſa eſt ſua gaudia voto.

Salue noſtra ſalus, Romani verticis Aſtrum,
Lingua, manuſque Dei, feſſo ſpes vnica Mundo,
Axis amor, dignas tibi nunc perſoluere grates
Non opis eſt noſtræ, ſed ſi pia vota valebunt
Ereptæ lætho Gentis, Tibi proſpera cedent
Cuncta, ſuprà vitæ mortalis fata locato,
Innumeroſque tuà cum gente beabere in annos:
Omnes Auſoniæ per Te rediere triumphi,
Feliceſque tuà didicerunt currere Soles
Luce; peregrino Roma eſt intacta furori;
Dura mihi per Te ceſsère augmenta tributi.
Degeneres oſus captiuo margine curſus
Vindicis in plauſum lætantes extulit vndas
Maximus Eridanus; Phaetontia dunque Sororum
Compeſcens longos fraterna ob funera luctus
Mutauit lacrymas gemmatæ in fercula pompæ;
Liber & Adriacas auguſtior exit in vndas;
Singula quid memorem patrij bona muneris? Vrbes
Excedente metu facibus genialibus ardent:
Lætitiæ teſtis ludente per aera tractu
Ipſa iocos populorum imitatur flamma; ſonoris
Vocibus, ingeminant queis laudis cantica turbæ,
Sæpe repercuſſi tollunt ad Sydera colles
Gaudia, floriferis decoror per mœnia ſertis.

Nedum compleråt pacis pro munere grates
Auſonia; æthereas ferri cum viſa per auras
Littore ab Adriaco niueis victoria pennis
Romulei inſolito cumulauit gaudia Patris
Monſtro, namque ferens hinc partæ inſignia palmæ
Perfoſſos clypeos; vexillaque rapta gelonis,

Æquo-

Æquore demerſis Othomanica roſtra Carinis,
Iſidis in Templo clari monimenta trophæi
Suſpendit, ſed parte aliâ cernuntur in ære
Bella ciere Duces, quos Tibris, & Adria miſit,
Quóſque dedit ſocios belli Melitæa Pachino
A Siculo virtus; pendent in vulnera Thracis
Heroes, terret vel ſculpta furoris imago;
Ars habet ipſa iram, ſpirantque minacibus æra
Vultibus, & metui pugnæ ſimulacra merentur.
Talibus attonitus Princeps dum tendit ad aras
Virginis, Auſoniam proprias dimittit in Vrbes,
Feſtinans magni venerari ſigna triumphi,
Et iam conceptum Mariæ perſoluere votum,
Fama per Æuropæ lætas celer attulit oras
(Omnia quippe geri Romanâ vidit in aula)
Italiæ partam tot poſt diſcrimina pacem;
Deuictiſque Getis trepidam palleſcere Lunam
Threycij Cœli, diſcordes anteà Regum
Conſpirare animos Caluinæ in funera peſtis
Romani officio Paſtoris: læta parari
Sæcla ſub Imperio tanti cum Principis Vrbes
Audiuere ſibi, coeuntibus vndique laudis
Perſonuere choris; alacrique in gaudia plauſu:
Aſt vbi prima ſui Gargano à vertice donum
Parthenope Ciuis, mox digni Præſulis hauſit,
Omnes effundens gratantis cordis habenas
Obſequio memori, cunctis eſt viſa repentè
Exiluiſſe iugis, hilarique arſiſſe veſæuo.
Hinc Caias, queis ſanat, aquas oblita recenter
Eſt in mellifluas Vetulonia verſa lacunas
Tellus, brumalique in ſerta effloruit anno
Vt Domini quondam moderantis fræna capillis
Texeret egregias partâ prô pace coronas.
Caucaſiam toruo reſpectans lumine rupem
Viſtula concuſſis hæc murmura protulit vndis.
Sublimi quamuis pertingas culmine Cœlum,
Atque giganteos iterum minitere furores
Diuis, Sarmatici iam iam perferre triumphi
Vincula conſpiciam; fractæque ſuperbia frontis
In fidei cadet obſequium, Patriſque Latini;
Nam mihi Romanæ, qui quondam oracula Sedis
Detulit, hanc proprijs ornans Virtutibus Aulam,

Auſpi-

Auſpicijs Cœli, terris reſponſa daturus
Electus, Latij cum iam ſedauerit iras;
Crudele in populos circumducentia fatum
Sæua vbi depulerit belli diſcrimina (laſſæ
Æuropæ promittit hyems nam proxima pacem)
In noſtrú ſe vertet amor ſolatia Regni,
Et populis mittet dignum ſe iudice Regem
Qui mala diſſidij conuellens ſemina, Plebis,
Nobiliumque animos in mutua damna ruentes
Pacabit, iunctaſque trahens in prælia vires
Eruet Iſmarium, quo turges, perfida Regnum,
Spe tantà lætus compreſſa voce quieuit,
Mouit & in cultum Romani Principis amnem.
Lactis mutatas in flumina Felſinus vndas
Obſtupuit Rhenus; tot iam per ſæcula curuæ
Erectum vidit mirata Bononia Turris
Culmen ad ingentes inito pro fœdere plauſus,
Rectoriſque ſui ſe ſe confeſſa minorem
Laudibus erubuit non ſat ſtudioſa videri:
Prodiga quin Pauli ſupremo iure regentis
Dextra Bolognetti gentilia lilia ſparſit
Principis vt patrio decoraret ſtemmata flore,
Fortunæque rotam ſubmiſit ſponte triumpho
Quem belli Domitor victo de Marte reuexit.
Maior at in cunctis voluit tua Roma videri
Quæ propriùs tua dona colit, fruiturque beato
Aſpectu felix, ſepteni in vertice montis
Namq; ſedens pleno Magnum ſonat ore Parentem;
Cui dedit humani generis torquere carinam,
Soluit & in tales facunda cacumina voces.
Te Cocles ſileant augentes omnia Muſæ:
Deſere ſubtractis tentatos Scæuola dextris
Ignes; Auſoniæ tot poſt incendia noſtri
Conſilio ſopita Ducis, has prodere flammas,
Virtutemque iuuat bellis quà viuo ſuperſtes,
Huic licet in ſtatuas nemorum conſumpſerit vmbras
Phidiacus labor, euulsâ Polycletus in ora
Rupe Paron, ſudent centenis æra caminis,
Parrhaſiæ quamuis certent ſeruire tabellæ
Imparibus tamen obſequijs ars victa iacebit.
Hic cum nulla fides in crimen euntibus annis
Reſtaret, Iuriſque vices ſibi poſceret enſis,

Reſtitit in ſpeculis fati, vireſque librauit
Regnorum, donec fortunam aduerſa fouentem
Siſteret, & penitus Fabio felicior iram
Excuteret ferro ſolà pietate triumphans,
Hic Aras Diuis vnus, ſua rura colonis
Reddidit, & læthi rapuit de faucibus Orbem;
Obſtrictos habet ergo Deos, hominesque viciſſim.
Quæ tibi ſoluentur tanto prò munere grates
Proxime Dijs Paſtor, Rheni paccator, & Iſtri,
Malleus hæreſeos, Fidei nitidiſſima lampas?
Omnia viciſti gratæ ſolatia linguæ,
Ergò cum merita egregijs præconia Cœli
Muneribus virtus iubeat Romana tacere,
Vnum erit obſequij pignus, quod nulla ſilebunt
Tempora, quod nequeat delere inimica vetuſtas;
Pro Tumulo ſacras cœleſtia Regna tenenti
Aras inſtituam, quas tellus vtraque donis,
Ac votis oneret; nomenque Parentis adoret
Totus ab infandis defenſus cladibus Orbis.

Æternitas Vrnę ex nomine INNOCENTII illi inſcripto.

EPIGRAMMA.

TEmpus vt exciſum peregrinà è rupe, Sepulchri
Formam iam vidit reddere marmor, ait.
Phidiacæ quamquam ſpires miracula dextræ,
Morſibus in cineres ire videbo meis.
Cæſarei his arcus, magni perière triumphi,
Et faſtus Romæ fœda ruina iacet.
At noſtri cernens ſignatum nomine Patris,
Dixit in hoc vltrà nil mihi iuris erit.

Franciſcus Maria Barbadicus Academiæ Princeps.

DE PACE ITALIÆ PARTA'

INNOCENTIVS DVODECIMVS

ANAGRAMMA LITERALE PVRVM

Nunc vici ſi oſtendo Deum

aliud

Nomini Ouis cedunt Duces.

TErruerat Latijs Mauors Capitolia damnis,
Horrifico ſteterat Tybridis vnda metu,
Cum Pater hac trepidos ſolatus voce pauores,
Fruſtrà, inquit, quid me ſoſpite, Roma, times?
Nunc vici ſi oſtendo Deum (mihi credito) bellis,
Nomini Ouis cedunt, (Marte ſtupente) *Duces*.

Franciſcus Maria Barbadicus.

DE IVSTITIA' EIVSDEM

Alluditur ad Tumulum; & Tribunal ab ipſo erectum in Monte Citorio;

INNOCENTIVS DVODECIMVS

ANAGRAMMA LITERALE PVRVM

Si nudus iudico nocentem.

VT tibi regales Princeps, Aſtrea, dicauit
Ædes, ad Tumulum conuertens lumina dixit.
Quid mihi Iuſtitiæ poterit prodeſſe Tribunal?
Ni ſim Iuſtus Ego, noſtri perière labores,
Profuſique auri diſpendia; noſco: Sepulchri
Iuſtus ero *nudus ſi iudico* lance *nocentem*.

Franciſcus Riccius Primus Aſſeſſor.

TVMVLVS INNOCENTII XII.

MALLEVS HÆRETICORVM.

IMpia Romani quid Gens tibi plaudis in Vrnà
Principis? in luctus tollitur illa tuos.
Saxea, ſi neſcis, hoc franget marmore Corda
Semper in hac vincet te pia Roma petrà.
Cæcus in hoc Fidei ſpeculo damnabitur error,
Et lumen vitæ funeris vmbra dabit.

Proſper Proſperutius Secundus Aſſeſſor.

DE LAPIDE EIVSDEM TVMVLI.

DISTICON.

VT Lapis explorat purgatum Lydius aurum,
Virtutes, Princeps, ſic probat iſte tuas.

Stephanus Bartholomides à Secretis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE